



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

2. Iusta in Auerroëm animaduersio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

paribilis intellectus scientijs fuerit ac Philosophia excultus & perfectus, tum demum agens vnitur illi vt forma: fitque ex ambobus intellectus ille, quem is adeptum appellat.

His omnibus absolutis obiectionibus antea positis respondet. Hæ autem sunt. Si vnus esset intellectus, idem intelligerent omnes vel ignorarent, aut obliuiscerentur. Sin autem non esset vnus, intellectilia item essent diuersa numero, specie eadem. Quare speciei esset species, & intellectilis intellectile; hocque infinitum. Ac rursum præceptor docens produceret in discipulo scientiam; non secus ac ignis, ignem alium eiusdem speciei gignit. Quod si ita esset, speciei esset species in infinitum. Deinde scientia immateriales sunt, nec numero multiplicabiles. Hæc omnia respondet ex eo diluit, quod dictum est, intellectum habitu esse vnum & plures; vnus, quia est vnus patibilis: plures, comparatione phantasmatum ac rerum, quæ intelligenda proponuntur; hominumque singulorum, in quibus est. Quod si vt est vnus intellectus, sic vnus esset phantasma, eademque res intellecta, maiorem argumenta vim haberent. Nunc autem horum multitudo diuersitatem ac multitudinẽ intellectiõis adfert.

Responsionem porro ab Auempace allatam, intellectum partim esse vnum, quia vnus est agens; partim plures, quia plures sunt ij, qui sunt habitus; propterea reprehendit; quia cum quaeritur, num intellectus sit vnus, non est homonyma quaestio, sed de vno & eodẽ intellectu quaeritur: ipse vero quasi ad homonymam diuersos commemorando intellectus respondit. Nam si quaestio esset homonyma, neq. de intellectu eodem proponeretur; esset plane sophistica, nec digna, quæ in disputatione vosaretur.

Demum ex his aliam etiam ait quaestionem dissolui, an intellectus sit separatus & extrinsecus adueniens, an cum materia coherens. Ostensum quippe est intellectum habitu partim separabilem esse, partim inseparabilem: separabilem ab hoc & illo homine, inseparabilem ab vniuersa specie: patibilem verò & agentem essentia separabilis, a-ctiõne inseparabilis esse.

IVSTA IN AVERROEM

animaduerso.

Hæc sunt, quæ Aueroës hoc loco tradidit. In quibus tota illa intellectus vnitas assertio aut principio illo nititur, aut reciproce cum eo connexa est; quo is eum credit formam hominis esse, non formantem & dantem esse speciei; sed velut intelligentiam quandam infusam vniuersæ speciei humane assistentem ad eam operationem, quæ est intellectio: vt nauam gubernandæ nauis, superiõresque intelligentias celestibus mouendis orbibus. Formantem autem & dantem esse formam sentientem esse animam quandam mortalem, singulorum hominũ propriam; quam alijs in locis cogitatiuam appellauit.

Iraque propositionibus hæc tota illius sententia continetur. Intelligentem animam immaterialem esse & per se subsistentem; ingenerabilem & incorruptibilem; separabilem & æternam; assistentem hominis formam, non formantem. Definitionem animæ conuenire illi homonymi. Atque cum numerica multitudinis principium & causa sit materia; animam hanc non esse pro hominum numero multiplicatam, sed vnã & eandem in omnibus. In ea ipsa duplicem intellectum contineri; patibi-

lem vnũ, agentem alterum: vtrumque immaterialem, inorganicum, ingenerabilem, incorruptibilem, æternum, & in omnibus hominibus vnũ. Intellectiõne ex duplici pòdere principio; tũ ex phantasmate, velut mouente ac proponente obiectũ intellectile potestate, tum ex intellectu, tanquã faciente intellectile actũ & illud in se recipiente. Ex parte intellectus vnã esse & æternam; ex parte phantasmatum multiplicem, diuersam & contrariam, generabilem & corruptibilem. Patiẽtem intellectum esse potestate ad omnia & velut materiam; agẽtem esse actũ & vt formam. Eos duobus modis vniri: vt agens & patiens, atq. ita intellectum habitu fieri: & vt formam & materiam, sicq. intellectum adeptum existeri. In intelligentijs quoq. actum & potestatem reperiri, solũque primum intellectum esse actum purum. Hunc seipsum solum cognoscere, illas tum seipsas, tum extra se alia. Quæ omnia in eius disgressionẽ apertissimẽ habentur.

Verum Christianis Philosophis præcipitur in generali Lateranensi Concilio sub Leone 10. sess. 5. vt dum Philosophiam proficentes atq. interpretantes in eius incidenti Philosophorum opiniones, quæ verissimas ac certissimas religionis nostræ decretis aduersantur, eas omnino confutent falsasq. esse demostrent: et si quæ ab illarũ auctoribus argumenta proponuntur, infirmet ac diluat. Eorũq. non solũ reprehenditur, sed & damnatur oratio, qui vt eius, quem profitentur, & in cuius verba iurarunt (quos verè Galenus seruos appellare cõsuevit) Philosophi auctoritatem tueantur, dicere non verentur, quidpiam esse naturæ lumine ex veritate Philosophia verum, non item diuino fidei lumine reuelato: aut id, quod ex religionis nostræ decretis sancitum est, naturæ lumine fallum esse cõcludi. Quali verò horum alterum alteri aduersetur, possitq. verum vero esse contrarium, aut vtraq. cõtradictionis pars simul consistere: aut demiq. deus, qui tum naturalis, tum reuelati luminis auctor est & largitor, mēiri ac pugnacia loqui. Cum enim fidei nostræ lumine quidpiam decernitur, si naturæ lumẽ verãq. Philosophia, quæ illo nititur, secus suadeat, alterum mēiri necesse est. At nec mēiri prima veritas potest, neq. illi repugnare naturæ lumen, quod ad verum cognoscendum fuit nobis ab eadem ipsa tributũ. Itaq. cogor hic tãtis per subfiliere ac diutius fortasse, quam cõmentarij ratio pateretur: dum ea primum statuo, quæ de anima nostra ita proponit vera atq. ab omni erroris labe purgata Philosophia, vt de illis dubitare sit nefas. Deinde ad eorum normam ac regulam ea examino, quæ ab Aueroë tradita sunt.

Ea sunt. Humanam animã immaterialem est substantiam à Deo solo ex nulla præiacente materia productam. Esse humani corporis formantem & essentialem formam pro corporũ numero multiplicatã, singulas singulorum hominum proprias. Non fuisse aliquo tempore ante corpus, sed in corpore opportunè disposito primum creati. Neq. cũ eo interire, sed immortalem separari atq. subsistentem in æuum omne subsistere. Libertate in agendo frui. Atq. a corpore salutẽ sempiterna promeritis præmia vel supplicia reportare. Separatam à corpore alium habere operandi modum. Post tamen Deo iubente rursum eidem corpori vniendã esse, nec vnquam ab eo amplius dissoluendam. Ac demum quæ ad vltimum finem & felicitatem suam consequendam necessitaria sunt, ea non nisi munere Dei singulari cognoscere illam aut exequi posse.

GGGG

Christi
ani dicitur
sophia
munito

Vera
sentia
humana
naturæ

Hinc Auerrois propositiones examinemus. Quia in re duo prestare oportet. Primum enim ostendendum est naturali rationi luminis consentaneas omnes eas non esse, verèque Philosophiæ aduersari plerisque. Deinde demonstrandum Aristotelem fecus omnino sensisse.

INTELLIGENTEM ANIMAM
spiritalem esse substantiam.

Quod igitur intelligentem animam immaterialem ac perse subsistentem esse ait Auerrois; verissimum est & Aristoteli consentaneum. Qui in tex. 3. & 4. impermixtam & incompatibilem eam esse tradidit. Et in primo libro tex. 65. innasci nobis substantiam quandam existentem; hoc est non ex materia gremio educi, sed aliunde in eam immitti. Et tex. 66. incompatibilem esse. Innasci nobis, inquit Simplicius, hoc est in nos ingredi, aduenientem aliunde, non ex materia educitam: & ideo substantiam existentem; non quod cetera anime non sint substantia, sed quod materialis non sit, & perse subsistat. Hæc Simplicius. Atque in 2. lib. de animalium ortu cap. 3. cum animas ceteras ex materia educi posuisset Philosophus, quod corporea sit illarum actio; Mens inquit sola forinsecus accedit, eaque sola diuina est: Nihil enim cum eius actione commune habet corporis actio. Quo loco non solum immaterialem esse asseruit; verum etiam ex operatione probauit, quæ propria illius est, abstracta, & absque corporis organo. Verum hic locus pluribus explicabitur, cum eo rursus vtemur, de huius eiusdem anime origine disputantes. Interim petimus dari nobis, eam à solo Deo ex nihilo produci & immortalē esse. Hoc enim accepto ita ratiocinabimur, eam spiritalem substantiam esse. Quoniam si esset accidens, aut hoc esset materiale aut spiritale: si materiale, rationi magis consentaneum esse, eam ex materia potestatem educi, atque à parentibus actione feminis communicari: si autem spiritale, cum accidens omne oporteat in aliquo subiecto sustentari, neque spiritale accidens materiali & corporeo subiecto inhaereat; aliquam subesse oportebit spiritalem substantiam: hancque intelligentem animam appellamus. Rursum si post corpus superstes est, substantiam eam esse necesse est. Accidens namque separari non potest, neque subiecto destructo conseruari ac perse coherere. Itaque omnibus illis argumentis, quibus immortalē esse demonstrabimus, substantiam quoque perse coherentem esse ostenditur.

Accedunt ea, quibus Christiani Philosophi docent animam à corpore separatam aut beatam frui vitam aut supplicij affici. Eaque, quibus futuram hominum resurrectionem asserunt. Si enim eadem ad corpus redibit anima, quia eadem post illius dissolutionem permansit, perse igitur persistens substantia est, non accidens. Ea quoque quibus vniuersè docetur omnem animam esse substantiam; & in specie intelligentem animam esse hominis formam atque alteram humanæ substantiæ partem, qua homo essentialiter à ceteris distinguitur, & vt principio primo operatur.

A Hanc autem spiritalem substantiam esse eam eius productione colligitur, tum ex immortalitate tum ex operatione. Materialis namque & corporea forma ex materia & corporis potestate potest educi, nec opus esset creatione. Neque separata à corpore & absque illo subsisteret; quoniam materialis forma sine materia esse non potest. Ex operatione cognoscimus formam, sic ex immateriali atque abstracta operatione immaterialis & abstracta forma concluditur. Non solum enim materiales res & singulas, sed immateriales item & vniuersas comprehendit: atque in se ipsam suam operationem redit, potestque se ipsam & suam operationem cognoscere ac velle; quod materialis, organica, & cum quantitate formæ permittitur, & quoniam hoc argumentum aliaque nulla pulchre Philoponus explicauit in prologo tertijs operis, & comment. tex. 65. libri primi, adhibuit illius verba. Nullum ex corporibus, inquit se ipsum nouit, nec ad se conuertitur. Non enim se ipsum nouit manus, aut aliud ex corporibus vllum. At ne facultates quod rationis experies nouerunt ipsæ se. Non enim aut vilius aut audius aut omnino sensus se ipsum nouit, neque cuius nouerit, ipse querit. Verum ratio est, quæ de se ipso inquit. Anima vero rationalis cognoscit ipsam ipsa est querens, ipsa querita; ipsa inueniens ipsa inuenta; ipsa cognoscens & cognita: manifeste eam esse incorpoream patet. Facultates autem quæ sunt in subiecto corpore, cum corpore ipsæ genitæ & adolefcunt: tales sunt sensus, ira, cupiditas; anima vero rationalis è contrario. Flacescit enim corpore ipsa viget; non est igitur in subiecto corpore. Præterea nihil est, quod subiectum suum corrumpi curet. Etenim quæcumque sunt, omnia esse cupiunt. At rationalis anima corpus ipsi parui pendit, atque laboribus per virtutem domat, ipsumque sæpe numero penitus derelinquit: igitur in subiecto corpore non habet esse. Hæc Philoponus. Tum verò multis rationem eam persequitur, quæ ducit ex operatione. Anima rationalis immaterialem habet, & à corpore non pendente operationem; igitur eiusmodi quoque illius abstracta est. Sed & ad operationē illa spectat argumentatio, qua alios quoque graues Philosophos vilius fuisse videmus. Inter quos ita Platonis Maximus Tyrus in ser. 28. si corpoream & mortalem naturam animam habeat, quidnam is vel scire, vel renouari, vel discere valeat? Facilius enim cera liquefcens ex sole, præpressam signi alicuius imaginē seruet, qui discipulus animus, si corporeus sit: cum liquido conlito corpore omnifariam genus celeriter fluere, perindeque quasi Euripum, iursum ac deorsum ferri; ob eamque causam modo ex peritia in iuuentutem exercebatur, modo ex inuentute in senectutem dilabi.

Solus Alexander inter peripateticos materialē atque ex materia erutam potestatem fecit. Nam et Aristotelem quoque accitauerunt aliquando veteres Christiani, quod animam *ψυχή* vocaret, quasi corpore adstrictam formam: non eam tamen illi fuisse sententiam demonstratam est. Sed & actores illi omnes, qui Angelos iudicant esse corporeos, multo magis idem de animabus nostris existimant. Inter quos præcipui fuisse videntur Tertullianus in lib. de anima c. 2. & Origenes lib. 2. de principijs cap. 8. & Paschasius Diaconus lib. 2. de Spiritu sancto c. p. Immo Io. Cassianus collat. 7. c. 11. opinionem